

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLV.**

**VD18 90538889**

Caput II. Resolutionem casus hujus exhibens.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

vix amplius sola per cubiculum incedere valeret. Quo in statu desperato tandem huc pervenit, & auxilium Excell. D. *Præsidis* imploravit. Antequam vero historiam hujus morbi finiamus, hoc adhuc addere haud incongruum erit, quod mulier hæc, antequam hic tumor multum increfceret, copiosissimis iisque maximis pedum varicibus, a primi foetus gettatione, laboraverit; quæ vero ab anno ultimo, quo tumor mammæ magis increvit, eo magis illæ decreverunt atque imminutæ sunt, donec tandem ultimis mensibus ita disparuerint, ut nullum earum vestigium amplius superfuerit, neque nunc superfit. Menses etiam ab eo tempore, quo tumor valde auctus est, nimirum a mense Octobri anni superioris fluere desierunt. Atque hæc est integra gravissimi hujus mali historia.

## CAPUT II.

*Resolutionem casus hujus exhibens.*

**C**ancer mammarum, qui græco vocabulo *carcinoma* audit, ab autoribus in occultum & apertum vulgo dividi solet. *Occultus* vocatur tumor durus, asper sive inæqualis, dolens, scirrhum indolentem subsequens: quo dolore a scirrho mammarum, qui indolens est, distinguitur. *Apertus* vero audit ulcus, cancerum occultum excipiens; quando nimirum cutis in tali affectu & postea tota reliqua mammæ substantia exulceratur; unde & cancer *ulceratus* sive exulceratus vocari consuevit (a). Haud quidem ignoro, *cancrum occultum* a nonnullis tantum dici *cancrum partium internarum* (b), qui revera occultus est, quia in sensu haud incurrit; & *apertum* eum, qui in sensu incidit, sive in partibus externis existat, sive hic ulceratus sit, sive non sit. Attamen usitatus magisque receptum est apud medicos, illos *cancros occultos* vocare, qui a cute integra adhuc occultantur; *apertos* vero, ubi cutis exulcerata, adeoque cancer antea absconditus sive occultus, jam apertus conspicitur (c).

*Definitio  
& divisio  
cancri  
mamma-  
rum.*

*Recte*

(a) A variis quidem varie hic morbus definitur, mihi vero hæc modo data *cancri* utriusque definitio optima videtur: præsertim cum varii male & false eum definiant, quos vero omnes hic refutare, meum non est propositum.

(b) Ut a Galeno. Vid. & *Montagnana* de cancro, & *Fallopium* de tumor.

(c) Disputant scriptores multi, unde vox *cancer* huic morbo fuerit applicata; quidam volunt hoc ob figuram vel similitudinem cum cancro fluviali factum esse, vid. *Montagnana* de cancro p. 55. *Avicenna* Lib. 3. cap. 46. item Lib. 16. cap. 43. *Galenus ad Glauco.* cap. de cancro. Alii vero, quia malum est adeo pertinax, tam firmiter hærens, sicut cancer chelis suis tam firmiter adhærens, ut vix avelli possit. Mihi vero perinde est, undecumque vox oriatur, nam controversiam etymologicam meam facere nolo.

Tom. 11.

T t t



*Ægra nostra vero cancro laboravit.*

Recte igitur morbum *ægra nostra* pro cancro habemus, eoque occulto, quia fuit tumor durus, inæqualis, valde dolens & urens, scirrhum indolentem, eumque valde inveteratum, cuteque integra adhuc tectum, subsequens: quippe quæ signa cancri occulti certa sunt atque pathognomonica, ita, ut nullo alio nomine aptius insigniri queat. Multi quidem his signis promiscue addunt *venas valde tumentes, infra pedum cancrorum super tumorem expansas: ut Montagnana loco citato, Platerus Prax. Med. Tom. II. pag. mihi 217. Langius (Christ. Jo.) oper. part. II. Cap. de Carcinomate. pag. mihi 189. aliique.* Verum hoc signum non esse perpetuum aut necessarium, non solum hicce casus ubi solum hinc inde quædam venæ apparebant, ostendit; sed etiam experientia Excell. Dni *Præfidi, Fallopii (d)* aliorumque satis edoctus sum.

*Quare mulieres cancro plerumque laborant.*

*Mulier fuit ægra nostra.* Licet ut plurimum sexus femininus tumoribus, scirrhis & cancris mammarum affligi soleat, propterea quia mammæ earum partim ob magnitudinem plerumque majorem quam in sexu virili, partim ob substantiam magis laxam atque spongiosam, partim ob plures injurias externas, internasque, quibus in graviditate, lactatione, aliisque occasionibus obnoxie sunt; partim etiam ob retentionem sanguinis menstrui, aliasque forte ob causas, ad hos morbos aptiores existunt: tamen etiam quandoque viros talibus tumoribus corripit, non solum *Bidloi (e)* aliorumque scriptorum testantur observationes; verum etiam hic in vicinia in pago, *Lengenfeld* dicto, caupo degit, cui dextra mamma in similem tumorem scirrhosum haud minoris ponderis excrevit. Quia vero tumor nondum dolens est, sectionem hæcenus admittere noluit.

*Quo tempore cancri ut plurimum oriuntur.*

*Ægra nostra annuum jam agit quadragesimum octavum.* Constans, unanimis fere, aut certe raro fallens practicoꝝ est observatio, cancos mammarum eo potissimum tempore oriri, quo menses ob ætatem fluere desinunt. Id quod etiam in hac nostra ægra verum esse, res ipsa ostendit. Nam intra annum quadragesimum quintum atque quinquagesimum mensium fluxum consuetum ordinarie cessare, medicis mulieribusque notissimum est. Quare vero circa hocce potissimum tempus sævissimus ille morbus oriatur, ratio, ut mihi saltem videtur, non e longinquo petenda erit. Nam quia antea per menstrua multæ excrementitiæ non modo, sed & superflua atque abundantes sanguinis partes excerni solebant, quarum excretionem corpus muliebꝛe sanum conservatur, atque a multis morbis præservatur, (*f*) si postea illæ ob ætatem non amplius excernuntur, sed in corpore retinentur, facile in mammas, tanquam in partes laxas & fungosas, deponuntur, præsertim si jam antea aliqua labes sive dispositio in

[d] Lib. de Tumoribus.

[e] In Exercit. Medico-chirurg. pag. m. 157. ubi testatur, se tibicini cuidam mammam magni ponderis extirpasse.

[f] Conf. illustris *Stablii* Dissertat. de Fine Mensium initiis morborum variorum opportuno.

eis adfuerit, sicuti in nostra ægra a multis abhinc annis tumor scirrhus jam aderat: qui non solum inde augetur, præsertim si incongrua medendi methodus, prout hic quoque factum est, accedat; verum etiam ob sanguinem qualitate peccantem & aërem, scirrhus indolens fit dolens, atque in carcinoma sive verum cancrum mutatur.

*Temperamenti est melancholico-cholerici.* Hoc non tantum ex colore ægræ fusco-flavescente & macilentia constat, verum etiam ex copiosis varicibus pedum, quibus antea laboraverat, quæ a sanguine crasso terrestri sive melancholico plerumque oriri solent. Hocce vero temperamentum præ reliquis ad scirrhos & cancos maxime aptum atque proclive esse, constans quoque auctorum est observatio, id quod partim ob sanguinem crassum terrestrem & ad stagnationem aptum, partim ob singularem acrimoniam in hoc temperamento sanguini immixtam oriri existimo.

*Mater octo liberorum.* Rarius quidem contingere, observant scriptores, mulieres sæpius parientes cancro arripi; e contrario frequentius accidere scribunt, *illas ordinarie cancro affici, quæ vel steriles sunt*, licet in matrimonio vivant; vel *quæ omnino calibes existunt*: (g) unde non rarum est, *virgines*, imo ipsas *Vestales virgines* cancro mammaram laborasse. (h) Neque deest ratio hujus observationis: nam mulieres in matrimonio viventes & parientes per partum & inde subsequencia lochia, cum a supervacuo aut abundante, tum a sanguine qualitate peccante melius reliquis expurgantur; id enim in cælibatu viventibus aut eis, quæ steriles sunt, non ita contingit, verum quam plurima noxia retineri videntur in his, quæ in illis commode excernuntur. Accedit in virginibus plerisque, præsertim vero vestalibus, vita magis quieta & otiosa; unde sanguis ob motus defectum non solum copiosius, quam par est, coarcervatur, verum etiam viscidior redditur, & ad stagnationem scirrhorumque productionem aptior. Imo cum etiam satis notum sit, quantum mens hilaris, animusque ad lætitiæ compositus faciat ad sufficientem corporis transpirationem, noxiorumque, sive quantitate sive qualitate peccantium, expulsionem, & quantum e contrario vita tristior, quam præsertim virgines vestales vivunt, ad sanguinem melancholicum, sive terrestrem, crassum & acrem producendum alendumque faciat, haud mirum est, cancos sæpius in his observari, quam in illis. Interea etiam si ægra nostra octo liberorum mater fuerit, adeoque sic sæpius a sanguine quantitate & qualitate peccante purgata sit, tamen ipsius mala constitutio sive intemperies melancholica tanta fuisse videtur, ut morbum hunc effugere non potuerit.

*Mamma, duo quasi capita humana æquans.* Licet *subjectum cancri* omnes fere partes corporis esse possint, ut testantur scriptores plurimi, tamen eum frequentissime in mamma illis observant, sicut & hic in nostra ægra

*Que temperamta ei maxime obnoxia.*

*Calibes frequentius cancro corripitur reliquis.*

*Cancer ægræ nostræ valde ingens fuit.*

T t t 2

[g] Vid. *Bidloum* loco citato.

[h] *Dionis* in *Chirurgia* cap. de *Cancro*, *Boerbavii Praxis Medica*.



gra fuit: forte quia laxioris sunt substantiæ, variisque injuriis externis internisque expositæ, vel forte, quia singulare cum utero, ut multi auctores observarunt, fovent commercium. At in nostra ægra magnitudo hæc profecto ingens erat, & non adeo multa prostant exempla omnibus illis canceris, qui a scriptoribus observati & simul curati sunt qui hanc magnitudinem superaverint. Nam non solum magnam talem expansionem habuit, verum post amputationem libras pependit duodecim. Equidem me non latet, quandoque & majores tales mammas fuisse observatas. *Billous* enim (i) meminit alicujus, quæ libras habuit XIV. *Schenckius*, (k). *Christian. Jo. Langius* (l) aliique perhibent, adhuc majores visas esse. Interea tamen hæc merito inter maximas, quæ curatæ sunt, locum meretur, quo longe plures visæ sunt, quæ ad hanc magnitudinem non pervenerunt, & *Paræus* miratur, se talem vidiisse, quæ magnitudinem pomi granati habuerit (m).

Quid color  
mamme  
notaverit.

*Color mamme hujus erat ex atro rubente & livido mixtus.* Hic color non solum indicat sanguinem nigrum & crassum sive melancholicum, verum etiam rupturam sive exulcerationem cutis instantem. Quamdiu enim cutis color sanæ cuti adhuc similis est, ruptura nondum est adeo propinqua. Sed ubi hicce color se exerit, de instante exulceratione haud vanus metus exoritur.

Vena dis-  
tente an  
semper ad-  
sint in can-  
cro.

*Venæ atro sanguine repletæ hinc inde in tumore conspiciebantur.* Novi nonnullos esse, qui ad canceri requisita referunt venas in formam pedum cancerorum super tumorem expansas, sicut jam supra pag. 10 innuimus; verum hocce signum non esse necessarium canceri requisitum, jam ibidem quoque indicavimus, & multorum auctorum, si opus esset, testimonio, uberius comprobare facile possemus.

De emol-  
lientium  
nova.

*E latere dextro minor quasi sphaera ex majori prominebat.* Minorem hanc sphaeram a duobus demum circiter mensibus ante extirpationem se demum ostendisse, & ægra & consanguinei ejus retulerunt: ab eo scilicet tempore, quo ultimus agyrta tumorem hunc ad suppurationem cogere voluit. Hic agyrta hunc in finem omnis generis cataplasmata emollientia applicuit, inter quæ, ut ægra & amici ejus observarunt, micam panis cum lacte coctam, cepasque assatas recepit. At eventus docuit, tumorem his quidem intra breve tempus longe majorem fuisse redditum, sed nulla ratione molliorem, verum semper æque durum persistisse. Unde recenti hoc exemplo videre & discere licet, quam noxius hic sit usus medicamentorum emollientium & suppurantium. Nam resecta mamma, eaque, ad interiora perlustranda, dissecta, nihil purulenti offerebatur; verum totius molis fabrica ex substantia glandulosa & sebacea duræ, vel lardo duris-

[i] Loco citato.

[k] Observat. Medicis de Cancro.

[l] Oper. Medicis cap. de Cancro.

[m] Oper. Chirurg. Lib. VI. cap. XXX. de Cancro.



durissimo simili composita videbatur. In medio vero tam minoris quam majoris sphaeræ, cavitas quædam, parvæ quasi nucis magnitudine, se ostendebat, sanie sive ichore quodam tenui repleta: a quo temporistractu, mamma hæc, ut ego saltem opinor, fuisset erosa, & in cancrum ulceratum conversa. Nihil enim, quod ad suppurationem aut pus spectaret, in eo inveniebatur.

*Corporibus verrucosis, viginti circiter, obsita erat hæc mamma &c.* Haud memini apud alios scriptores talia verrucosa corpora in tali affectu observata aut descripta, multo minus delineata fuisse; ideoque ea tanquam inusitatum phaenomenon hic negligere noluimus, sed accurate in figura nostra delineari curavimus. Causa tamen eorum, sicuti aliarum verrucarum, obscura est, mihi que non satis liquere videntur. Neque meliorem novi, quam impurum sanguinem, corpora talia præternaturalia producentem, quippe qui, ut ex antecedentibus patet, satis impurus & crassus fuit, ideoque & ad talia impura corpora producenda multum facere potuit.

*De doloribus conquerebatur vehementibus & quasi urentibus &c.* Vehementes hi dolores, scirrhum mammæ subsequentes, certissimum carcinomatis signum existunt. Unde vero hi proveniant, nondum adeo planum aut perspectum est, sed altioris, ut mihi videtur, indaginis adhuc est, atque inventu difficillimum. Quamvis quidem sint recentiorum, qui pathologiam falsam ex medicina proscribere velle videntur, & qui dolores solum ex plethora & spasms explicare conantur; tamen in cancris affectibus acrimoniam sanguinis sive salia excedentia & præternaturalia negare forte non poterunt. Nam, cum in cancris ulceratis a multis practicis observatum fuerit, ichorem inde effluentem sæpe tam acrem fuisse, ut lintea imposita ita inde corrosa fuerint, quasi aqua forti macerata fuissent, satis inde constare puto, revera acrimoniam vehementem his in morbis peccare; quæ non tantum ultionis sensum molestissimum producit, sed etiam partes ita erodit & depascit, ut mammæ subjectasque partes penitus sæpe consumat: atque hanc ipsam acrimoniam, quicquid forte alii in contrarium sentiant, dolorum illorum vehementium auctorem etiam hic in ægra nostra extitisse, præsertim cum in cavitatibus illis in duplici hoc tumore repertis, ichor similis fuerat inventus, qualis alias ex cancris ulceratis effluere solet. *Qualis vero indolis sit illa acrimonia, utrum acida, ut, quamplurimi hucusque judicarunt, an falsa, lixiviosa, arsenicalis, an alcalica, probare sive ostendere hactenus, quantum ego novi, nemo potuit, neque ipse determinare audeo.* Hoc tamen certum esse arbitror, eam non esse acidam, quia in cancris ulceratis non acidum spirat fetorem, sed cadaverosum, fere intolerabilem, qualis alias non percipitur in rebus aut carnibus acido immeris, aut eo largiter imbutis. Verum similior existit carnibus vel sponte putrescentibus, vel a sphacelo corruptis, aut febre quadam maligna defunctis. In quibus vero omnibus nulum sal acidum, sed potius alcalicum, septicum, putredinem celerem in-

*Corporibus  
verrucosis  
obsita erat.*

*Unde dolores  
tam vehementes  
& quasi  
urentes  
&c.*



ducens, contineri & reperiri, non solum Chimia, aliisque indicis atque experimentis deprehensum est; verum curatio quoque febrium malignarum, atque ipsius pestis, ubi ab optimis practicis alcalina medicamenta nocere, acida vero optime prodesse, observatum est, id docere atque evincere videtur. Videantur hanc ob rem, cui lubet, Auctores varii, qui de ultima peste hinc inde nuper scripserunt.

Unde do-  
lores in  
dorso.

*Dolores dorsum versus trahebant, & thoracem quasi stringebant.* Quærebat ægra amicique ejus, unde vehementes illi dolores, quos in dorso sentiebat, orirentur: existimantes, cancrum forte ad dorsum & scapulas usque sese extendere, adeoque parum spei felicitis eventus superesse, etiamsi extirpatio cancrofæ mammæ susciperetur. Verum hos dolores non a cancro, eousque se extendente, provenisse credo; sed tantum a pondere mammæ, cutem dorsi, membranas, aliasque partes continuas ita trahente. A quo ipso etiam sensus ille, quasi integer thorax constringeretur, ortum duxisse videtur.

De progno-  
si cancri.

*Malum hoc erat periculi plenissimum.* In vulgus etiam notum est, cancrum, quamvis exiguum, morbum esse gravissimum atque periculosissimum; ideoque minime mirandum, quod *Di. Præses* hunc cancrum tanto periculosiorem esse judicaverit, quanto hic fuerit major, ægraque jam debilior. Nam boni viri est, in gravissimis talibus casibus periculum ægris non celare, nec ut agyrtæ solent, certam salutem eis polliceri, ne eventu infelici hominum ludibrio se exponat, seque mentitum esse palam testetur. Quoniam vero, judice *Celso*, dubiis in casibus *præstat anceps experiri remedium, quam nullum*; hinc ægri tales miseri minime certæ neci relinquendi sunt; sed præmissis prognostico dubio generosa remedia, quæ ars & sana ratio suppeditant, adhibenda, quia jam plures similes ægri adhuc curati sunt; præsertim quia adhuc aliqua bona signa supererant; maxime vero, quod cancrofæ moles adhuc mobilis erat, neque sub axillis aliisve in locis scirrhi reperiabantur, qui alias ut plurimum eventum infelicem fere certo præfagunt.

Medica-  
mentis in  
cancro ni-  
hil effici-  
tur.

*Medicamentis hic nihil effici posse.* Hæc assertio, sicut plerumque in quolibet cancro, ita præcipue hic, ob magnitudinem pro verissima habenda est. Percipimus enim adhuc hodie, præceptum divi *Hippocratis* quam verissimum esse, quando scribit: (*n*) *Quibus occulti cancri sunt, eos non curare melius est. Curati enim cito pereunt, non curati vero longius tempus perdurant.* Qua curatione venerandus senex nihil aliud intelligere videtur, quam quod medicamentis non solum nihil in cancro occulto, præsertim adeo magno effici queat, sed, quod potius noceant, majusque damnum, imo celeriolem mortem afferant. Idem uno quasi ore affirmant, usque verum esse didicerunt medicorum principes. Hoc quoque suo damno experta est ægra nostra. Quæ quamdiu a medicamentis abstinuit, melius

[*n*] Aphorism. Sect. VI. 38.



lius sese habuit, parumque mali inde percepit, neque multum tumor increvit. Simulac vero medicamenta adhibuit, præsertim emollientia, aut resolventia, malum vehementissime auctum est, & si illam methodum diutius continuasset, sine dubio diu vivere amplius non potuisset, sed brevi ipsi pereundum fuisset. Cumque præterea frequens practitorum experientia, & notabile illud exemplum reginæ matris regis galliarum, *Ludovici XIV*, quæ cancro quoque mammæ laboravit, docuerint, medicamentis nihil effici potuisse, quæ immensam mehercules pecuniæ vim adhibuisset, si quis ipsam sanare potuisset; sapere profecto inde deberent imprudentes illi, qui tam manifesto cum damno ægris hic remedia, præsertim adeo noxia, applicant: idque eo magis, quo certius est nullam earum, quas, cum regina mater ægrotaret, Parisiis varii curandas suscipiebant thrasones, a cancro per medicamenta sanatam fuisse (o). Hinc ex hoc ipso satis constat, *medicamentis nihil effici posse*, sectionemque, testibus auctoribus gravissimis, atque ipsa experientia, unicum sive optimum hic esse remedium, si modo nondum cohæreat cum glandulis axillaribus, nec ægræ nimis debiles sint.

*Varices pedum, aucta vehementer mamma, disparuerunt.* Unde hoc factum sit, non adeo planum aut perspicuum est, operæque hinc pretium esse existimo, ut in causam hujus phænomeni disquiratur. Ante omnia vero hic monemus, in aliis adhuc morbis idem vel simile quid contingere: ita, ut una parte magis debilitata, altera, in debiliorem deinde omne malum, impetu quasi ruat, & ab altera recedat: ut, si quis ophthalmia vel odontalgia laborat, superveniente diarrhœa, quicquid mali circa oculos vel aures hærebat, ab his recedit, ad intestina deferitur, atque hic expellitur, vel si quis malo hypochondriaco vel melancholia laborat, & hæmorrhoides vel mictus cruentus accedunt, priora mala tolluntur, vel saltem valde minuuntur. Ita & in nostra ægra accidit; dum enim mamma valde accrescebat, sanguis in varicibus alias hærens ad mammam hanc deferrebat: hocque propterea facilius contingebat, quia emollientia medicamenta mammæ applicata, influxum copiosioris sanguinis ad mammam invitabant, & quasi attrahebant; sicuti alias per emollientia influxum sanguinis copiosorem de industria ad certas partes, certis in morbis, invitamus atque sollicitamus: atque hac ratione sanguine copiosiori in mammam hanc ingentem recepto, varices evanuerunt. Atque hæc sunt, quæ vel explicatione, vel commentariolo quodam in historia casus nostri indigere credidi. Reliqua adeo plana ac perspicua esse puto, ut prolixiori illustratione superfedere facile possim. Idcirco ad ipsam operationem describendam me jam confero.

*Quare varices pedum aucto tumore disparuerunt.*

## CAPUT

[o] *Mustanus* etiam notanter in *Trutina Medico-chirurg.* part. II. cap. 23. cancrum propterea *Medicorum opprobrium* appellat; siquidem, ut ait, mitiora remedia spernit, fortioribus exasperatur. Conferri quoque hic potest *Hildanus* Tract. de Gangræn. & Sphacelo cap. 7.



## CAPUT III.

*Operationem ipsam, & quæ ad eam pertinent, describens.*

*De operatione generationis.*  
**Q**uoniam igitur ægra nostra sectioni non solum lubens se submittere voluit, sed etiam ardentè ipsam expetiit, & quidem animo ita intrepido atque excitato, ut, quicquid ad eam a gravissimo isto malo liberandum, proficuum judicaretur, fortiter patienterque se pati sustinereque velle, pollicita fuerit. Hinc Excell. *Dn. Præses*, misertus mulieris hujus afflictissimæ, licet ob virium debilitatem tumorisque magnitudinem spes valde angusta & eventus valde dubius, imo metuendum esset, ne in ipsa operatione periret, sectionem tamen in casu hoc ancipiti suscipere maluit, quam eam intermittere; quæ etiam præter spem plerorumque, qui ægram antea viderant, eamque in operatione morituram esse crediderant, Deo benedicente, tam feliciter cessit, ut etiam adhuc hodie, dum hæc scribo, optime sese habeat.

*De præparatione ægræ.*  
 Antequam vero eam aggressus est, non frustraneum aut supervacuum esse judicavit, *præparationem ægræ*, melioribus chirurgis in quacumque operatione difficiliori consuetam, instituere: sicuti circumforanei & agyræ hanc vulgò negligere solent: verum primo per aliquot dies ante operationem eam bona diæta uti iussit; & simul eodem tempore bis, duobus diebus continuis, ipsi purgans lene exhibuit, ad saburram & cruditates in primis viis hærentes evacuandas: quod ex sequentibus pilulis constabat:

℞. *Extr. panchym. Croll.*  
 ℥ *dulc. aa* ℥β.  
*Extract. helleb. nigr. gr. IV.*  
*Ess. lignor. q. f. f. Pilul. N. XXII. consperg.*  
*Elæosacch. lign. Sassafr. D. S. Blut-reinigende*  
*Laxier-Pillen II. auf einmahl morgens früh*  
*einzunehmen.*

Porro ad sanguinem aliquo modo corrigendum & attenuandum sequens decoctum pugillare ordinavit, de quo singulo die ter quaterve haustum trium quatuorve unciarum calide assumi præcepit:

℞. *Rad. Sarsaparill.*  
*Chin. elect. aa* ℥j.  
*Liquirit.*  
*Lign. Sassafr. aa* ℥β.  
*Sem. anis. stellat. ℥ij. concis. crasso modo*

D.

